



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Gregorii papæ XIV. vita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

## V R B A N I P A P A E V I I . V I T A . 773

Sepultus est apud sanctum Petrum, cum annos quinque, menses quatuor, dies tres pontificatum tenuisset. Vacauit sedes dies 18.

ANNO  
CHRISTI  
1590.

### V I T A

## V R B A N I P A P A E V I I .

**V**R B A N V septimus, Ioannes Baptista Castaneus ante pontificatum nominatus, Romæ patre Cosmo Genuensi natus; in Hispania nuntii apostolici munere magna cum laude perfunctus, a Gregorio XIII. cardinalis sancti Marcelli creatus, & ad Bononiensem legationem destinatus; Sixto tandem in pontificatu successit xv. Septembris, anno Domini 1590. tempore Rodulphi II. imperatoris. Natura fuit mansuetus, vita inculpatæ, & morum sanctimonia clarus: complexione tamen melancholica, & ad morbum inclinante. Pontificatum ultra ii. dies non prostravit. Post eius obitum sedes apostolica duos menses & nouem dies vacauit.

ANNO  
CHRISTI  
1590.

### V I T A

## G R E G O R I I P A P A E X I V .

**G**REGORIUS XIV. Franciscum Sfondratum senatum Mediolanensem patrem habuit, & Nicolai nomen in sacro fonte consecutus est. Optimarum disciplinarum & iurisprudentiarum studio Perusii & Patauii non pœnitendam operam dedit. A Pio IV. episcopus Cremonensis, & a Gregorio XIII. cardinalis creatus, ac tandem Urbano ad feliciorem vitam translato, post duorum & amplius mensium interregnum 5. Decembbris, anno 1590. tempore Rodulphi II. imperatoris ad pontificatus fastigium pertigit. In grati animi & obseruantiae in Gregorium XIII. significationem, Gregorius voluit appellari. Eius pontificatus ad 15. Octobris anni sequentis, dumtaxat per menses decem & dies totidem, fuit continuatus. Quo factum est, ut optima quæque consilia, quæ animo conceperat, & quorum expectatione multos sustentabat, exequi non va-

E c c e i i j



## 774 INNOCENTII PAPÆ IX. VITA.

Iuerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abruptit, fuit febris continua, & reddendi lotii difficultas ex calculo nata. Quinque cardinales creauit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes post eius mortem dies 15. vacauit.

## VITA

## INNOCENTII PAPÆ IX.

ANNO  
CHRISTI  
1591.

Inno-  
centius IX.  
qualis, &  
quando  
pontifex?

**I**NNOCENTIVS IX. cathedralm sancti Petri conscendit die 29. Octobris, anno Christi nati 1591. tempore Rodulphi II. imperatoris. Ante pontificatum Ioannes Antonius Farquinetus nomen illi fuit. Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum a Gregorio XIII. factus est. Summa integritate, variaque in omnibus pene facultatibus eruditione imbutus, rerum usu & longa praxi edocitus, omnium animos in meliorem spem erexit. Verum grauis annis, curis, & laboribus fractus, postquam populum a plerisque grauaminibus liberasset, duosque ex fratre pronepotes in purpuratorum ordinem adsciuisset, ad quietiorem vitam migravit 29. Decembris anno Domini nostri 1591. Post obitum eius vacauit sedes vno mense.

## VITA

## CLEMENTIS PAPÆ VIII.

ANNO  
CHRISTI  
1592.

Clemens  
VIII. qua-  
lis, & quan-  
do ponti-  
fex creatus?

**C**LEMENS huius nominis VIII. Hippolytus Aldobrandinus antea nominatus, ex cardinale sancti Pancratii, & summo poenitentiario, trigesimo die post ingressum conclave magno omnium cardinalium consensu & studio renuntiatus est pontifex tertio Kalendas Februarii anno Redemptoris nostri 1592. tempore Rodulphi II. imperatoris. Clementis nomen illi impositum est, quod magna apud omnes existimationis, incredibili prudentia & dexteritate legationem nobilissimam & utilissimam in Polonia obiisset, aliasque res ecclesiæ difficillimas & grauissimas confecisset. Princeps erat iis animi dotibus praeditus, quæ in summo viro & uniuersali pastore desiderari possunt. Initio pontificatus, (teste Baronio, anno 369.) quo-